



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1861

XVI. Der Convent des Klosters Marienpforte verpachtet das gekaufte Feld bei Malendorp und Brodewinestorp für vier Scheffel Gerste die Hufe, am 8. März 1301.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55721)

XVI. Der Convent des Klosters Marienpforte verpachtet das gekaufte Feld bei Malendorp und Brodewinestorp für vier Scheffel Gerste die Hufe, am 8. März 1301.

Wilhelmus prepositus, Johanna, divina permissione abbatissa, totusque conventus sanctimonialium in boyceneboreh omnibus Cristi fidelibus hanc paginam inspecturis salutem in perpetuum. Quemadmodum tempus mobile defluens est et fluit, sic et cum tempore temporales defluunt actiones, solummodo enim divina sunt perfecta, humani autem generis condicio est defluens in infinitum, et ideo in ea nichil est, quod perpetuo stare possit. Propter quod notum esse volumus omnibus cristiane fidei professoribus, quod nos ex maturo consilio providorum virorum villanis ac villicio in brodewinestorp. (Ausradite Stelle) quendam campum magnitudinis seu extensionis duorum mansorum excepto stagno huic campo incluso dimittimus ad agriculturam seu ad pascua, prout ipsis placuerit facienda. Situs autem huius campi est attingens campos aut agros villarum scilicet malendorp et brodewinestorp; necnon distinctiones et metas illustris domini Alberti brandenburgensis marchionis idem campus attingit. Possidebunt autem prefati cives inibi commorantes campum seu agros sepedictos perpetuis nunc temporibus tali tamen sub condicione, ut nobis persolvant annuatim de quolibet manso quatuor modios ordei. Ne igitur alicui hominum super hiis oriatur dubietas aliqualis in posterum, presentes eisdem dedimus litteras sigillorum nostrorum appensionibus communitas. Huius rei testes sunt: dominus Wilhelmus noster prepositus, dominus heydenricus de benz, dominus heynricus de Stegeliz, dominus theodericus de Kercov, dominus Johannes de stegeliz, dominus Johannes noster confrater severus (?) et alii quam plures fide digni. Datum boyceneboreh, feria quarta post dominicam, qua cantatur: Oculi.

XVII. Der Bischof Heinrich von Cammin bestätigt dem Kloster Marienpforte das Patronatsrecht über verschiedene Kirchen, am 1. Februar 1303.

Heinricus, dei gracia Caminensis ecclesia episcopus, universis presencia inspecturis salutem in domino sempiternam. Noverit nacio presencium et felix successio futurorum, quod nos venerabilis patris domini Hermanni, bone memorie caminensis ecclesie episcopi, nostri predecessoris, litteras vidimus in hec verba.

(Wörtliche Anführung der Urkunde No. III.)

Nos igitur huiusmodi predicta considerantes, rite et racionabiliter ac deifice esse facta, ea in nomine domini confirmamus. Datum anno domini M° CCC° tercio, in vigilia purificationis sancte marie, pontificatus nostri anno secundo.